

Mexicum innatantem amplissimo laeu condiderant hospites, Nava-tacas dicimus, ab Aquilone ante 80 annos egressi, adolefcere cœperunt, roboreque tanto & viribus fopetbire, ut circum vallantes Mexicanam Paludem Reges, multo singulos milite, commœtu, & opibus potentissimos, repetito bello confregerint subjugaverintque, atque ab hoc etiam tributa obsequiaque plurima habuerint Azcapuzalcano Monarcha, cui non ita pridem similia ipsi penderant. Parentibus Noster usus est Indis Imperatorum Mexicanensium sanguine rubescens, qui subinde stirpe, avitis que imaginibus nulli concesserint, uti suis inseruere Libris nostrates, porissimum Bezerta Tancœ & Adame locis inferius adducendis à nobis. Eo natus est tempore, quo primum res non modo Christiana, sed verò etiam politica & litteraria altius radices agere Mexici incœperat, silentibus videlicet Martis Irtuis & Bellonæ fragoribus, quæ Minervæ & Mercurij citharæ suavissimique cantus successerant.

417 Insonuere primum in ea Urbis parte, quæ Tlatelolco audit, erecto ibi Collegio, quod à S. Cruce nomen habuit illustre, in quo sub egregijs è Franciscanorum Ordine Magistris, nec eruditione minus quam probitate claris, litteris instituti sunt Indi plures, cum in Latinitate & Rhetoricâ Musicâque, tum etiam

in Philosophiâ. Hujuscœ Musari Author habetur amplissimus vir, Americæ bono natus, cujus extant immortalis monumenta nominis plurimâ, Mexicanus Pro-Rex D. Antonius de Mendoza, qui proprijs illud sumptibus condidit, cujusque in officio successor, multis & ipse de Patria benemeritis nostrâ, D. Ludovicus de Velasco, hujus nominis primus, rusticis prædijs quæ Collegio Fundator attribuerat pro dote, ducentos annuatim persolvendos aureos adjecit Caroli V. jussu Cæsaris, reditasque alios ad tempus, de quibus Vasco à Puga in Schedulario suo fol. 187, ut merito Imperiale audierit Athenæum illud, quod Imperatoris aurâ blandiente, cum Nobilium Indorum & Toparcharum institutioni, tum etiam Imperiali insignium semine, fastis destinatum avibus fuerat.

418 Hos inter Valerianus noster, secundus nulli, decoratus trabeâ, ornamento & Nationi & Collegio & Americæ fuit haud quaquam vulgari. Tria ita calluit idiomata, Mexicanum, Hispanum, Latinum, multas ut inde laudes à gravissimis Viris retulerit. Nam, quod ad maternum spectat, discipulum nactus est Magistrum doctissimum F. Joannem de Torquemada, uti is ipse fateatur, gloria duccens, Valeriano nostro quidquid facundia & eruditionis habuit Mexicæ (habuit verò prægrandes ea in par-

te

tè gazas Cresus certè noster & Midas) in acceptis referre, à quo nimirum & loquendi scribendique Mexicanæ peritiam hausit, & quæ negotium facesserat, OEdipumque requirebat. Scientiam Annalium Monumentorumque gentis cœterorum, quæ caracteribus inscripta & imaginibus multo prisca ingenio facta referentibus, egregio ipsi fuerit usui pro Indicâ sua Monarchiâ condendâ. Profecisse item se multum à Nostro, grata animi significatione testatur Fr. Joannes Baptista Mexicanus, Magister & ipse Clarissimi P. Torquemada in Philosophiâ Theologiâque, gestis unâ ac libris editis cum primis eximius, Valerianum in arduis consulens, & potissimum in ethimologia nominum significationeque ad Sacra facientium, ut de his Mexicano sermone multa conferberet perutilia, quæ hodieque à Parochis cœterisque Ministris in prærio habentur.

419 Hispano autem sermone clarum etiam fuisse Nostrum monitos voluit posteros Bezerra Tanco (qui multis erat divo Linguis Occidentis nostri Orientisque, & veterum Historijs Mexicanorum, si quis ullus, scientissimus) Latini porro gloria sermonis tantâ Valerianus inclaruit, quantam Historiographi ejus extollunt, non veriti latinioribus ipsum & elegantioribus comparare, extempore etiam loquentem, & in ultima senectute, quod

jure miratus Fr. Joannes Baptista in Proœmio mox indicandi libri præmonuit. Rhetorices peritissimus quoque collatitiâ suffragatione ab his qui ejus indicarunt acta, appellatur, nec minoris faciendum in Logicis & Philosophicis controversijs ijdem compertum habent. Sanè, eximios ejus in litteris progressus conjectare fas est, quod à Collegij moderatoribus, sodalium constitutus fuerit Magister, quorum Latinitate & Rhetoricâ imbuendorum curam suscepit, egregijs, à quibus ipse fuerat doctus, Magistris in Cathedra susceptus. Adhæc, prudentiâ cœterisque ad negotia peragendum conspicuus dotibus, multi à Pro-Regibus, Principibus viris, & gravissimis omnibus factus, ipsum quoque Catholicum Regem æstimatorem meruit, cujus dignatus Epistolâ fuit honoris adversus ipsum plenâ.

420 Cum autem, jam inde ab Hispanici in America Imperij exordio prudentissimè cautum fuerit, ut præter supremos Magistratus & Judices dicendo Hispanis destinatos & Indis juri, pro ijs postremis Ordinarij gentilesque eligerentur Prætores, Mexici quidem duo, quorum alter ei Urbis parti, quæ Tenuechtlan dicitur, ei alter provideret, quæ Tlatelolco audit, Noster prima quam nominavimus præfectus regioni toros 35 annos, seu, quod alij scribunt, 40° invigila-

Dddd

vit,

vit, æqui justique tenax, à Christianis moribus & regendi commendatus strenuitate. Demùm anno 1605 Mense Augusti, ipsi in extremis assistente suo quondam Discipulo Patreque dilectissimo Torquemada, è vivis excessit, elatusque fuit, multà Hispanorum & Indorum frequentia, in Parochiam antiquitate celebrem à S. Josepho nuncupatam, intra primarij septa Franciscanorum Monasterij locatam, funus mœstissimè prosequentibus Collegij à S. Cruce Imperialis alumnis, suis quondam Sodalibus, Religiosisque Partibus succolantibus, atque cæteris ejusdem Familij comitantibus, ut in clyro suprema tanti viri, ab ipsis educati institutisque litteris & virtutibus, clauderentur honore. Morti proximus Torquemada suo amicitij veteris pignora, quæ utriusque cordi erant, Mss à se olim elucubrata, dono dedit, Latino altera sermone, altera Mexicano, ex his quæ verterat aulpicard. Hæc inter ( alijs obvolutis silentio ) ipse Torquemada multis effert laudibus

*Catonem Mexicanè redditum:*

Quem typis committendum pollicetur lib. 5. cap. 43; an verò promissis steterit, vel morte aliòve casu exsolvere ea potis haud fuerit, ignoramus, nec aliquando librum hunc vidimus.

Bétancurtius Author est ipsum Torquemadam sequutus, Valerianum,

*Multas varij argumenti fecisse Versiones Mexicanas,*

Quas enucleatius panderent ipsi, nobis est in optatis.

Fr. Joannes Baptista memorat plures.

*Epistolas latino sermone conscrip-  
tas.*

Unam verò, è pluribus ad se missis, quòd postrema senis optimi fuerit, in specimen affert, quam & nos libenter transcrip- tam Lectoribus nostris non invidemus. Ita porro habet.

*Hic litterarum gerulus ad vestram Paternitatem portat, id quod mihi traducendum iussisti. Nescio profecto an in traductione ejus sim felix. Multa quippe in eo sunt pregnantia; ut nesciam in quem sensum meliorem verti debeant. Si quid est erratum parcas obsecro: & tuam gravem censuram adhibeas: & his litteris tam malè formatis simul & ignoscas: illitura enim videntur potius quam littera. Nec mirum vestra Paternitati videatur: manus namque jam vacillant: oculi caligant, & aures oclusa. Iterum atque iterum parcas. Deus Optimus Maximus longævam tuæ Paternitati vitam concedat. De Mexico. Tui amantissimus, & si indignus. Antonius Valerianus. Hæc ille.*

Aurcam plenè coronidem Scriptis Valeriani Nostri imponamus, vindicantes ipsi editam Mexici anno 1649. idioma Mexicano

*Narrationem de picta per miraculum Virginis Deiparentis Imagine Guadalupe à Mexicæ, ante duo se-  
cula*

*cula coram V. D. D. Fr. Joanne Zumarraga, Episcopo Mexicano, è floribus hyberno collectis tempore in arido colle Tepeyacac vulgo à gentilibus nuncupato.*

Vindicamus autem aureum Valeriano nostro Opusculum istud, vestigia legentes Critici Historiographi eruditissimi nostri D. Caroli de Siguenza, in Opere suo, *Heroica D. Ferdinandi Cortezij pietas*, inscripto, in cuius c. 10. n. 114. juratus testatur, ab se inventam Relationem istam inter Mss D. Ferdinandi de Alva, Indi nobilissimi insimulac eruditissimi: Authographumque Mexicano scriptum idioma esse proprio ( noverat enim Carolus antiquissima gentis & minutissima ) D. Antonij Valeriani caractere, quem ejusdem Authorem Scripi pleno ore pronunciat, additis non nullis à Deigenitrice patris miraculis, operà & litteris memorati mox Ferdinandi. Siguenzani hac in parte sequutus est D. Caietanus de Cabrera in erudito tomo suo in folio, *Siemma Mexicicum*, seu de Mexicana Guadalupe Deiparentis Imagine pag. 334. n. 663. quamquam in hoc refragatus Carolo eidem sit, quod Valerianum Versionis Authorem Mexicanè in confesso habeat, existimet tamen Narrationem ipsam hispano primum scriptam sermone ab Authore hispano, de quo multa numeris sequentibus explicat. Nos hæc in medio relin-

quimus, institutoque nostro insistentes, addimus, hoc item opus Valeriano vindicasse D. Laurentium Boturini in Catalogo Musæi historici Indici § 35 n. 5. fassum se à Caroli de Siguenza Fragmentis Historicis mentem hanc imbibisse. Nec fanè vanus in hoc angur est visus Boturini, quod suspicetur Enarrationem hanc eam ipsam esse, quam Baccalaureus Ludovicus Lasso de la Vega Sanctuarij Vicarius Guadalupensis publici Juris fecit, tacito tamen Antonij nostri nomine. Rarissimum inventu Codicem possidemus unà cum alijs compaginatum tom. 101 Collect. nostræ.

Porro non abs re judicamus indiculum contexere Authorem qui cum laude Valeriani nostri memorias posteris tradidere. Sunt illi quidem, Torquemada in Monarchia Indica tom. 1 lib. 5. cap. 10. pag. 607. Editionis Madritanæ 1723. & tom. 3. lib. 15. cap. 43. pag. 114 & 115. F. Joannes Baptista in Proœmio ad primam partem Sermonum Mexicano idioma confcriptorum, Editionis Mexicæ anni 1606 in quo Proœmio Indorum eruditione florentium sillabum texit qui sibi pro immortalari elucubrando Opere adjumento fuerant, è quibus Noster nulli secundus. Ludovicus de Bezerra Tanco in *Miraculosa Guadalupensis Sanctuarij Origine* fol. 14 col. 2. Editionis Mexicæ de

1666. Et fol. 17 col. 1. Editionis item Mexicæ de 1675. Madridianæ autem splendidissimæ de 1745. pag. 95 & 60. Betancurtius in Theatro Mexicano tom. 4. in de Illustribus Viris Appendice post Menologium pag. 141. Siguenza memorato nuper Opere & loco. Adame & Arriaga in Imperiali Mexicana Universitate illustrata pag. 546 n. 2157. Cabrera & Borurini indicatis mox sedibus. Epitome Bibliothecæ Occidentalis Antonij de Leon Pinelo, novissimæ & additæ Editionis Martitensis de 1738 tom. 2. col. 729.

421 P. ANTONIUS DE VALTIERRA, Natione Mexicanus, apud Chiapenses ortus è præclara familia (cui Societas JESU acceptum refert Collegium Chiapense) litteris ipse illustris & moribus, germanos sortitus est Fratres minimè abfimes Ferdinandum & Emmanuelem, eidem cum ipso Societati JESU nuncupati militiæ, quatuorque terni ipsi votorum Professione conspicui. Noster (nam alios ad suas reservatus sedes) ingenio peræque insignis & eruditione, sive ætiores litteras spectemus, sive de gravioribus disciplinis loquamur, Philosophiâ scilicet, & qua porrigitur latè, Theologiâ, pro eis in publicis Gymnasijs tradendis Præceptor institutus est, Grammaticæ primùm & Rhetoricæ, mox Philosophiæ etiam atque Theologiæ, Oratoriæ sacræ, cæ-

terisque. Apostolicis muneribus Instituti multis annis incubuit, à magnis & sapientibus viris multum habitus, deque arduis ad mores & jura atinentibus sæpe consultus. Edidit à se dictam materno sermone

*Panegyrim eucharisticam pro re-latis à Catholico Rege nostro Philippo V Triumphis.* Mexici, apud Viduam Michaelis de Ribera. 2707. in quarto. Extat tom. 98 Collect. nostræ.

E Mss vidimus ad SS. AA. Petri & Pauli Maximum in Libris huic destinatis instituto, habitum à se anno 1695

*Certamen Poeticum ad Pueri Jesu natalem festivè pangendum, Diei metaphorâ orientis in scopum assumptâ.*

*Cursum Philosophiæ,*

Quem è suggestu aperuit Discipulis, horum in scrinijs fuisse non dubitamus, quamvis hætenus nos effugerit, non secus ac Tractatus Theologici, quibus pro inde indicandis nomina nos destituunt. Quodque sciamus Conciones, Consulta, aliaque Opuscula composita ab ipso, quæ autem sint illa & ubi ignoremus, illa tantùm insinuasse sufficiat.

422 D. ANTONIUS VAZQUEZ SALGADO, Natione Mexicanus, propè Antequeram apud Goaxacenses clara natus stirpe, à prima ætate studiorum honestissimis deditis exercitationibus, progressu fecit in Latinitate,

Poc-

Poetica & Rhetorica minimè penitendos, flores, etiam in provectâ maturâque ætate, pulcherrimos editurus, quos jure fructus dixeris honoris item & honestatis. Hanc porro amplexatus à teneris, virtutum prosequutus officijs, dignus inventus est, qui studiolarum juvenuti tandem aliquando regendæ præficeretur & instituendæ. Nam quod amcenioribus ne dum litteris optimè excultus fuerit, sed Philosophiâ itidem & Theologiam haud perfunctorio labore coluerit, & Mexici Academicas in Universitate nostra laureas demersit, & Antequeræ Palæstritam agit etiamnum. Postquam enim à Clarissimo Ecclesiæ Goaxacensis Capitulo, sacris theoriâ praxique Ceremonijs edocendis institutus fuerat Magister, ut qui Ecclesiasticorum scientiâ Rituum eximie polleat, & quæ sunt illa plurima & minutissima, plurisque pro Divinorum obsequio & decore faciendâ, calleat curretque religiosè; Illmi. à S. Bartholomæo nuncupati Collegij Rectoris obire munus jussus est, cui invigilat hætenus. Historiam Ecclesiasticam, antiquos Ecclesiæ Patres, præclaram Disciplinam in delicijs habet, in quibus egregiè versatus, sacrâ item ulus & sobriâ Criticâ, huc etiam collimantia lucubravit Opuscula. In primis autem, Libris Doctoris Angelici evolvendis & enucleandis indefessus incubuit super 40 an-

Eccc

nos, abundantem & aurâ Theologicâ & omnigenâ eruditionis messem inde sibi colligens, multisque communicans. Adhæc, Synodalis Examinator ab Diocesis Præsule constitutus, strenuam huic pariter oneri navat operam, Conciones interca, aliaque Dei honorem attinentia Proximorum que salutem, ut Præsbyterum decet egregiè moratum, non prætermittens; subinde non apud gentiles tantum suos cum primis æstimatus, sed Mexici etiam à gravissimis viris cultus magni que habitus. Edidit latino sermone, heroicis descriptam carminibus mille septingentis

*Vitam S. Thomæ Aquinatis Doctoris Angelici Ordinis Predicatorum Illmo. ac Rmo. D. M. D. F. Angelo Maldonado Goaxacensi Episcopo nuncupatam.* Mexici, ex Typographia Plantiniana Joannis Francisci de Ortega & Bonilla 1722. in quarto.

Hispano autè idiomate publicavit Librum in 8. historica locupletem eruditione infusum ac pietate, cui nomen dedit:

*Chronologica & historica meditatio sacrâ de Inclita Imperiali & Regia Austria stirpe à Deo in Catholica defensionem Ecclesiæ adversus Orthomanam familiam data.* Angelopoli, apud Viduam Michaelis de Ortega 1728. in octavo.

Adhæc Mss servantur in Bibliotheca memorati supra Collegij S. Bartholomei tom. duo in quarto, alter Latinis Opusculis

con-

constans, alter Hispanis. Opuscula porro Romano sermone in primo descripta tomo sunt tria, quæ ad Scholasticam juxta & Criticam lancem trahuntur quæ sita sequentia. Primum: *Utrum de facto hac sit bona illatio: Beatissima Maria est gratia plena: Ergo immunis à peccato originali?* Secundum ab Authoribus penè omisium: *Utrum Sacerdos indignè celebrans sacrosanctum Missæ Sacrificium, præter sacrilegium duplex, committat speciale peccatum contra Sacri Concilij Tridentini præceptum præmittenda confessionis?* Tertium pro dignitate & enucleatione quam à Doctoribus agitari solet, *Utrum Subdiaconus & Diaconus indignè solenniter ministrantes peccent mortaliter?*

Hispana autem Opuscula ad 2. spectantia, sunt item tria. 1. *Elogia Angelici Doctoris brevia & acumine plena complectitur.* 2. hoc titulo insignitur: *Apologia pro libris S. Dionysij Areopagite nomine hodie notis, ipsi, seu legitimo Authori criticè vindicatis adversus admodum R. P. M. F. Hyacinthum Amat de Graveson sacri Præd. Ord. Doctorem Parisinum, ad Casanatense Romæ Collegium Professore eruditissimum.* 3. hoc nomine: *Apologia amandandi ergo inter abusus illorum morem, qui, Sacerdote ad aras faciente, sacræque Hostiæ Cruce signationes desuper Calicem efformante, rictinabula pulsant.*

Nec præterunda duximus Mss alia, quæ penes nos extant tomo Collectionis nostræ in quar-

to, ordine 46. Romano sermone

*Ad divinam & plenè calescentem Deigenitricem Mariam adprecatio.* Hoc est, *Elogia* nomine juxta & amore adversus Deiparentem Virginem exundantia.

*Panegyrica Oratio in D. Bartholomæi laudem ab Authoris discipulo pridie festi ejusdem in Collegio suo anno 1741 recitata.*

*Panegyrica altera Oratio ejusdem argumenti anno 1747 ibidem ab studio juvene dicta.*

423 F. ANTONIUS VERO, Natione Mexicanus, forsanque Patria, Professione Franciscanus, Provinciæ S. Evangelij alumnus Concionatorq; non obscurus, Recollectis ejusdem Familiæ adscribi statim à tyrocinio voluit, austerioris & secretioris cupidus vitæ, quæ virtutes excolens simul ac literas religiose traduxit. Pietate adversus Dei Matrem cum esset insigni, juvandarumque zelo Proximorum arderet, his ut proficeret, inferviretque Immaculatæ Virgini Deiparenti, collectos è libris V. M. Mariæ à JESU de Agreda flores pulcherrimos edidit materno sermone & hocce titulo:

*Hilaris Aurora felicitatis diei gratia Deiparentis Mariæ: Epitome Librorum Mystice Civitatis Dei: Mensis vitæ Mexici, ex Calcographia Josephi Bernardi de Hogal 1727. Et iterum eisdem typis 1730. tom. 2. in octavo. tom. 1. pp. constat 488. tom. 2. à*

489: exorsus ad usque 769. pp. procedit.

In his Lector habet libellis ad compendium redactos. Agredianos tres nobilissimos. Quod autè Opus ea dispositum methode sit, ut Lectiones pro singulis mensibus vitæ inscriptus est etiam. Ad calcem habentur opportunè in Opus remissiones pro Lectionibus diebus aptandis Christi Domini & Purissimæ ejusdem Matris singulari cultu & religione præclaris, ac demum post numeratas pp. Exercitia adjiciuntur in sollemnioribus festis agenda.

Authoris meminit Bibliotheca Franciscana tom. 1. p. 134.

424 P. ANTONIUS VIDAL DE FIGUEROA, Natione Mexicanus & Patria, genus duxit è Familia præclara, cognatosq; sortitus virtute juxta literisque insignes D. Josephum de Vidal Ecclesiæ Mexicanæ Scholasticum, & Academicum Cancellarium, & P. Josephum de Vidal, Societatis JESU Theologum spectabilem; piè non minus quam liberaliter efformatus ab ipsis, Magistros in Philosophiâ & Theologia audivit egregios donec utriusque laureas facultatis demersuit. Sacris initiatus, & propriae cupidus perfectionis, tum etiam salutis Proximorum, Congregationi Oratorij se adjunxit, in qua, & instituta cætera, & confessiones excipiendi, ac verbum Dei familiaribus nuntiandi con-

cionibus munera obtinuit. Suburbia, quadragesimæ tempore, sedalibus comitatus petebat, Christiane rudimenta doctrinæ monitaque daturus Apostolica pauperibus illis, egrè qui adire Civitatem pro his possent, & quam ab Jesuita agnato suo, Missionibus, ut dicitur, peragendis insigni, prædicandi acceperat methodem, non absque audientium fructu plurimum tenebat. Erga Deiparentem in Passione Filij dolentissimam plurima ferebatur pietate, qua scidem, præter Cælices alios, ardebat in Parentem S. Philippum Nerium, & in B. Philippum à Jesu, Mexicanum Martyrio illustrem, cujus ut acta paucis digereret, cultumque inter gentiles suos præsertim augeret, Novendiale Libellum edidit in 8. anno 1712. Scripsit, non tamen publicavit, quam non semel ante 40. annos vidimus, Hispano sermone

*Vitam V. P. Doctoris Joannis de la Pedrosa, Congregationis Oratorij Mexicanæ Presbyteri.* Mss in quarto.

Quo autem in præsentis sermone nos later, postquam ad plures abije D. D. Michael de Zetina, Primariæ Mexicæ Parochiæ Præfectus, qui hunc cum alijs nostri schedis, multisque avunculorum Mss mortis causâ Antonij susceperat.

425 D. ANTONIUS DE VELASEÑOR ET MONROY, Natione Mexicanus, Patria Zultepequen-

quensis, famosis majorum stemmatibus admodum clarus, illustrior literis & moribus fuit. Regij Mexicani Collegij à Christo Domino nuncupati, juvenis traheam induit, & postquam humaniores litteras excoluerat, Philosophiæ se dedit hauriendæ è Gymnasijs Societatis JESU & Academiæ, moxque sedulam utriusque Juri operam dedit, atque Doctoralem Civilis lauream & Abulæ agud Hispanos reportavit & Mexici, ubi ad nos remeavit, Canoniatu positurus in Ecclesiâ Mexicâ, cui destinatus à Catholico Rege fuit, cum ejusdem permoto studijs & gelitis, tum etiam meritis Clarissimi avunculi Illm. atque Excm. D. M. D. Fr. Antonij de Monroy, è Magistro Generali Sacri Ordinis Prædicatorum Archiepiscopi Compostellani. Hinc gradatim Ecclesiasticas alias Dignitates in eadem Metropolitanâ Mexicâ tenuit ad usque Decanatum, quibus strenuè functus muneribus, alijs etiam amplissimis claruit pro ejus & in dicendo jure peritiâ, & in pertractandis negotijs solertiâ. Vicarium Generalem Archiepiscopatus plus quinquennio egit, Judicemque Testamentorum & Piarum Causarum, nec non Seminarij Collegij Visitatorem. Apud S. Inquisitionis Tribunal Ordinarius fuit institutus ab omnibus Novæ Hispaniæ Pontificibus, ijsque etiam qui Americæ nostræ Insulis, & Philippinis præ-

erant Episcopis. In Academia nostra ad clavum sedit, & in Sancti Petri Congregatione Abbatibus vice.

426 Regij & Apostolici Tribunalis S. Cruciatæ Commissarij Subdelegati 22 annis, tam exactè partes implevit in America nostra Septentrionali, ut easdè curas pro Meridionali accepturus fuisset, nisi Illm. obstitisset viro hæc cogitanti D. D. D. Antonio Ramirez de la Piscina, Commissario Generali, & Consilij Cruciatæ Præsidi, quem multis etiam exoravit, ne, ut decreverat, apud Catholicum Regem nostrum Philippum V ageret pro ejus in Novæ Cantabriæ Episcopatu electione, egregijs calamo expressis meritis, quibus spectabilem se ad insulas sacras præstiterat. His porro subductus, atque Emeritus renunciatus in Cruciatæ, quod gesserat, ministerio, Ecclesiæ inservire, ut consueverat, & Deo multa religione perrexit. Divinum cultum studiosè promovit, cum ornato JESU Crucifixi Sacello in Aedibus Metropolitanis, institutoque pro die S. Antonij Patavini anniversario festo, tumeriam alibi datis multis pietatis signis. Orationi non modo publicæ in choro devotè operam dabat & inter familiares, quibus præbat Deiparentem Rosario salutantibus, verùm stato matutino tempore sacris vacans meditationibus. Adhæc jejunia, & alias ænis macerationes ad-

jiçiebatur, asceticorum lectionem librorum, aliarumque exercitia virtutum. Proximis juvenis incipit, quamvis gravibus teneretur negotijs gerendis, multorum confessiones excipiebat. Pauperes in Xenodochijs sublevabat, & per hebdomadam accurrentibus auxilio erat, ac quotidie mendicantibus, sæpeque ipsum convenientibus opitulabatur, in primis autem oclusis Virginibus stipem apparabat, fæminisque alijs, ne hinc inde vagantes offenderent. Tandem, febri correptus, Sacramentis devotissimè præmunitus, multaque confortatus spe patrocinijs Deigenitricis, quam eximio profecutus fuerat amore, cuique sub titulo de Spe aram in Ecclesia sua crexerat, ad plures abiit, atque ejus funus actum fuit gravissimâ pompâ, præ qua ramen ipse in ultimis tabulis, ut fuerat pauperum amantissimus, duodecim pèrgere constituerat. Scripsit, ut ab antiquis Ecclesiæ nostræ socijs accepimus, hispano sermone

*Constitutiones Collegij ab Assumptâ Deiparâ & SS. Josepho nuncupati, pro educandis Infantibus qui Choro inserviunt Metropolitana Ecclesiæ Mexicæ instituti.* Mexici, prælo D. Mariæ de Ribera 1734. in quarto. Quibus designati à Capitulo Socij unâ cum ipso subseripsere.

427 F. ANTONIUS VIRUES, cui lustricum nomen Ferdinandus, Natione Mexicana, apud

Novæ Cantabriæ principem Urbem Durangum ortus, statim à primis annis virtutes excolere cepit & litteras, quas deinceps in Scholis Mexicanensibus mirum in modum auxit Philosophiâ imbutus atque Theologiâ, cujus decoratus fuit laureis, postquam mirantibus Doctoribus theses multoties publicas substinuerat. Anno ætatis 19 ad religiosum vocatus statum, Ordinem Minorum professus est Angelopoli in Conventu Excalceatorum Provincia S. Didaci Mexicæ, die 8 Julij 1660. mutato tunc lustrico Ferdinandi in Antonij nomine, cognomini autem de Viruès suffecit à Conceptione. Insignis ex tunc Sodalibus est visus, cum ab eruditione, tum etiam ab omni virtute, cellam perpetuò incolens, ni munerum, quæ gessit, aliò ipsium officia vocarent: silentij in primis tenax & corporis juxta animique candoris, creditus illibatam perpetuò custodivisse virginitatem. Utrique admodum iuggestui, triennio Philosophiam & mox Theologiam per aliquot annos in Gymnasijs Mexicæ docuit, & eximio inter Oratores nomine concionatus est, nec minori auditorium emolumento, quòd mascula, qua utebatur, eloquentia ad christianos mores formandos, religiosissimæ exempla vitæ conjungeret. Atqui consummatus in brevi, ætis 33 annis vitæ, malignâ correptus febri, sacris præ-

premunitus Sacramentis, Psalmis que recreatus & Hymnis, atque pijs alijs aspirationibus, obiit in Domino 15 Februarij 1673 qua die Franciscani Sodales festum agant translationis S. Antonij Patavini, cujus Noster amore & imitatione Ferdinandi nomen in Antonij mutaverat. Ejus acta habet P. Balthazar de Medina in Chronicis dictæ Provinciæ fol. 190. col. 2. à n. 707. & fol. 66. n. 216. Scripsit

*Cursum Philosophia.*

*Tractiones Theologicas.*

Et

*Conciones varias.*

428 D. D. ANTONIUS DE URIZAR, Natione Mexicanus, apud Fidelissimam Nobilissimamq; Tlascalensium Urbem clara natus familia, jam inde ab incunte etate piè & liberaliter institutus, Latinitatem coluit & Philosophiam, laureaque Academica redimitus in Scholis Mexicanensibus, ejusdem se Aulis pro utraq; addiscenda Jurispræctia ultrò conscripsit, donec absolutis à more legæque præscriptis curriculum, Candidatum se obrulit apicis Doctoralis, quo demum in Jure Canonico, hujusce suffragante Facultatis Collegio, ritè fuit auguratus. Togatis Majoris D. Mariæ & omnium Sanctorum Collegij Mexicci coopatus, hodie que, post non paucos annos, ejusdem Emeritus, Præsbyterque jam diu initiatus, publica inde, non sine laude, negotia gerit

statum moratissimumque virum decentia. Nam Patronus causarum ut est à Senatu Regio probatus, apud ipsum pro Rostri agit, juxtaque in Ecclesiasticis Tribunalibus, ne facto quidem Inquisitionis Officij dempro, à quo insigne pro carceratis orandi munus etiam suscepit. Primariam Sacrorum Canonum Cathedram Universitatis nostræ non uno tantum & altero rexit quadriennio, ad in honoris fastigium Academico ritu multos inter petitores electus. Hanc etiam munus spartam adornat, cui altiora promeritis munera optamus. Pro suo ipse hæctenus scripsit, ut ex Libris Academicis, signandis destinatos lectionibus, eruiamus

*Commentaria in titulum de Sententia & re judicata.*

*Commentaria in titulum de Judicijs.*

*Commentaria in selectos alios Decretalium titulos.*

Præterea in schedis habet *Allegationes in jure varias, & Praelationes ad Civile & Canonicum spectantes.*

429 P. ANTONIUS XARIBON, Natione Mexicanus, Mexici item Parentibus admodum honestis est ortus, Jesuque Societatem statim ac per annos licuit amplexatus, & quatuor suo tempore votis adstrictus, dignum se præstitit, qui à domesticis & extraneis maximi fuerit habitus ob mores religiosissimos floridissimè junctos eruditioni,

qua

quæ cum in amœnioribus litteris excelluerit, nihilo sibi in gravioribus fuit absumilis: nam & Rhetoricam & Philosophiam, egregio Sapientum plausu, ad SS. AA. Petri & Pauli Mexicceum professus est, & Positivam primum, dein Moralem, & mox Scholasticam etiam Theologiam æqua tradidit laude, majoris quidem interea creditor, quod se ita palæstra mancipasset & rebus Minervæ, simul ut negotijs insisteret alijs integrum pene hominem deposcentibus. Quo enim tempore Scholastico præerat suggestui, Collegium S. Ildephonsi Rector moderabatur, juvenum, qui in eo aluntur dantque operam litteris, plurimorum institutioni consulens, nec propterea Ecclesiasticis se abdicans Pulpitis, ut erat in dicendo felix atque disertus. Sodalium Collegijs Goatemalensium, Angelopolitano, & alijs præfectus, benignitati junxerat observantiam prudentiam que eximiam, quibus illectus doctibus Præpositus Generalis Familiæ ipsum Provinciæ Novæ Hispaniæ præposuit, quam per triennium auspiciatissimè administravit. Pietate conspicuus & Religione, zelo itidem erga Proximos nituit & charitate, qua & ipsorum excipere confessiones sacras, & responsa poscentibus dare in difficillimis sæpe consultus, & miseris subvenire in delicijs habebat. S. Inquisitionis Tribunal eum sibi Censores inter colo-

gos nuncupavit, quod subinde, Quæstoribus acceptissimus Fidei, frequenter pro munere adibat. Tandem meritis cumulator quæ annis placidissimè quæviit morte 8. Aprilis, anno 1719. apud Maximum Mexicanum Collegium, cujus majoribus Studijs tunc præerat. Edidit hispano sermone

*Novum Solstitium, seu, in naturali optatissimi Hispaniarum Principis Ludovici I Panegyrim.* Mexici, typis Joannis Josephi de Guillema Carrasco 1708. in quarto. Quam cum alijs similis argumenti Orationibus compaginatam habemus tom. 25. Collectionis nostræ in quarto.

Mss reliquit plura, & cedro quidem digna, quorum vix aliqua indigitamus: alijs, que aspectui subduxerunt se nostro, relictis. Nempe idiomate latino

*Tractatum de Beatissimâ Virgine Maria* in quarto.

*Tractatum de Divini Verbi Incarnatione* in quarto.

*Tractatum de Perfectionibus Christi Domini* in quarto. Et hos quidem in suppellectile nostra libraria computamus.

*Tractatum de Justitia & Jure* in quarto.

*Tractatum de Restitutione* in 4.

Quos, nisi memoria fallit, apud multis instructam voluminibus Bibliothecam M. F. Joannis Chrysostomi Martinez, Augustiniani, Librorum hellænonis, aliquando ad S. Sebastiani confepeximus.

*Tractatum de Summulis & Logica* in quarto.

*Tractatum de Physica* in quarto.

*Tractatum de Metaphysica* in quarto.

*Tractatum in Libros Aristotelis de Anima* in quarto.

*Tractatum in Libros de Ortu & Invenitu, Caelo, Mundo &c.* in quarto. Quorum ubi sint exemplaria nescientes, centum illa tamen fuisse non dubitamus, quod totidem, ut minimum, Author discipulos in Philosophia instituerit, qui calamis integrum ab ipso dictatum ad Aristotelis systema Cursum exceperint. Ex his adsunt apud Bibliothecam oppido instructam Collegij Seminarij D. Pauli & Purissimæ Conceptionis, *Disputationes Summularum & in universam Aristotelis Logicam dictatae à P. Antonio Xardon ab anno Domini 1684 usque ad 1685. 1. vol.* in quarto.

Hispano sermone conscriptus extat

*Poeticus lusus, seu pro natali festu Christi die numeris celebrando datum Adamantis symbolum anno 1682, in libro similis plura instituti complectente, qui habetur in Bibliotheca Maximi Collegij Mexicani Societatis JESU.*

*Sermones verò multos, variq; cum hispana Opuscula, tumetiam latina amoenissime à Nostro elucubrata meminisse tantum suffecerit, quorum nobis copia non supererit. Meminit, nec sine, quo dignissimus*

est, elogio Nostri P. Vincentius Lopez, in aureo planè Opere Mssæ Secula Conceptionis Marianæ Seculo 18. pag. 835. ubi annuās Societatis Litteras de 1719 Antonij memoriam texentes opportunè transcribit.

† 430 F. ANTONIUS DE ZA-VALETA, Natione Mexicanus, in ipsa, quæ Regionis caput est, Urbe Nobilissima & Imperiali in lucem datus est, Parentibus stirpe præclaris & opibus, genitore Cantabro D. Joachimo de Zavaleta, qui rubicundæ equestris S. Jacobi Ordinis Militaris Cruce signatus fuit, & Triumviris pro Commercij negotijs & judicijs à Rege datus primus, biennio, ut fit, annumeratus fuit, postquam clara obierat alia Mexici munia. Noster ubi liberaliter educatus fuerat, & primis scientiarum lincamentis institutus, opulentæ valedixit Familiæ suæ, Franciscanisque PP. de Observantia Provinciae S. Evangelij in Primario Conventu solenni editæ Professione se addidit, à quibus Philosophiam Theologiamque hausit. Sacris initiatus, Ecclesiastem egit minimè obscurum & in Cœnobio patrio & in alijs, atque id partes muneris implens, ad Sodales in Comitijs Provincialibus de superiori loco dixit, pios, ut moris est, Sociorum Manes commendans ea quam edidit maternâ linguâ

*Funebris ad Capitulum habitæ Concionis Mexici, Formis Josephi Bernar-*

nardi de Hogal 1736. in quarto.

In Schedis reliquit *Sermones plures.*

† 431 D. D. AREVALUS SEDENUS, Natione Hispanus, cujus incomperta nobis est Patria, Academiae Mexicanensis decus & ornamentum, quod primus fuerit ejusdem Antecessor pro Decretis Pontificijs in Gymnasio tradendis. Ejus nobilissimum contexit elogium primus item Mexicanæ Scholæ Professor Rhetoricæ D. Franciscus Cervantes Salazar in eo politissimo Dialogo, cui nomen fecit *Academia Mexicana*, colloquentibus Messa & Gutierrez. Ita habet. ME.... *A decima verò ad undecimam usque eodem loco Doctor Arevalus Sedenus Pontificum Decreta sic exactè & absolute explicat & enodat, ut quod jurisperitissimi reprehendant, inveniunt nihil: quæ autem admirentur, tanquam ab oraculo quodam profecta, multa. Abundans est in argumento sterili, concisus in fertili, promptus in citando, subtilis in inferendo, laqueos intendit, eosdem solvit, nihil quod sit in jure magnum & abditum ignorans: ac ut semel dicam, solus qui possit auditores jurisconsultos redere. GU. Audivi ipsum Salmantica, & quam de se maximam, semper exultationem dederat, in dies magis ac magis auxit. Hactenus Cervantius. Porro eximum virum Arevalum multa scripsisse & gravia pro suo munere ad Canoniceam Facultatem spectantia non dubitamus, quæ tamen duorum*

injuriam seculorum nobis hæcenus inviderunt præter Hispanum Opusculum, quod unâ cum admodum R. P. Fr. Joanne Focher condidit Mexicci jussione Pro-Regis D. D. Ludovici de Velasco, habeturque in Rituali pro Sanctis administrandis Sacramentis collecto à P. F. Alphonso de Mentrída Ordinis S. Augustini apud Insulas Philippinas hoc nomine:

*Declaratio Summaria jussu Pro-Regis Novæ Hispaniæ D. Ludovici de Velasco facta ab admodum R. P. Fr. Joanne Focher Ordinis S. Francisci, & Doctore Sedeño Cathedrae Decretorum in Universitate Mexicæ Antecessore, Privilegiorum, quæ Fratribus Ordinum Mendicantium in Floridam abeuntibus concessa sunt tribus Bullis authenticis Leonis X Adriani VI & Pauli III Summorum Pontificum. Manila in Collegio S. Thomæ operâ Thomæ Pimpim & Hyacinthi Magarilau anno 1630. in quarto.*

† 432 ARIAS DE VILLALVOs, Natione Hispanus, apud Beteriam, quo loci nescimus, ortus, Mexici Domicilium sedem que defixit. Præbyter Secularis, satis in Historijs eruditus, ut Opuscula indicant ejus publici facta juris, cum antiquæ, recentis tum etiam Hispaniæ; Poeticos laude floruit & eloquentiæ, cujus specimina dedit in his, quæ ligata solutaque numeris oratione idioma hispano composuit. Scilicet

*Epitaphia in exequijs Mexici ductis Marchionis de Villamanrique, Pro-Regine Novæ Hispaniæ. Mexici 1619. in quarto.*

*Mexici obsequium solennissime proclamatis Catholicum Hispaniarum Regem Philippum IV. Additur hispano Historia carmine Mexicana usque à principio condita Urbis amplissima ab venientibus Aculhuacanis, generis primoribus, ad annum editti operis, scilicet 1623. Mexici, apud Didacum Garrido, in quarto. Opusculum hocce, rarum quidem inventu, habemus in Collectaneis nostris tom. 63. & titulus Opusculo datus ab Authore Mercurius, de quo meminere Betancurtius in Tractatu Mexicanæ Civitatis pag. 3. & D. Antonius de Leon Pinelo in Epitome Bibliothecæ Occidentalis novissime addite col. 699. tom. 2. Itemque D. Nicolaus Antonius in Bibliothecâ Nova tom. 1. pag. 133. Magni quidem non multæ molis Opus faciendum, quod poetice, qua haud friget, elegantia numeris, compendio potiora Mexicani capita Imperij resque, cum ab Indis, tum ab Hispanis gestas exhibeat ad finem usque primi expugnatione ditionis seculi.*

*Præterea, scripsisse majoris moliminis Librum ab citato Mexicanæ obedientiæ didicimus fol. 16. col. 1. ubi jam pridem multis à se confectum annis impendijsque memorat Opus de Imperiali Au-*

*stria Familia, quod, ut videtur, ineditum latet.*

433 FR. ARNALDUS BASASIUS, Natione Gallus, è Provincia Aquitania, in qua Seraphici P. instituta coluerat, in Apostolicam S. Evangelij Mexicæ anno 1530 quæ tunc cœptabat, translatus, Domicilium nostris inter sibi constituit magno rei Christianæ apud Indos in Ecclesiâ confluentes incremento. Theologiæ, in qua florebat, subsidium adjunxit idiomatis Mexicani brevi admodum à se tempore imbibiti, eo ut pro gentilium catechesei uteretur. Nec quidem sine fructu, quod assiduitate dicendi zelum animatum conjunxerit, in id sedulo incumbens, ne abjurata nuper idola pristinis altaribus restituta clanculû à neophytis, ipsis alijsque scandalo forent. Conveniebant tunc temporis frequentissimâ Indi coronâ in Primarias Franciscanorum Aedes Parochiamque S. Josephi Deigenitricis Sponsæ nomine hodieque insignem, pro sacris audiendis & excipiendis, quibus unâ cum socijs aderat Noster, qui præterea juvenes gentis latinis litteris instituendos præcipuas suas inter curas voluit, tanto quidem successu, ut inde natum fuerit Imperiale à S. Cruce nuncupatum Collegium, quod non ita post ad S. Jacobi de Tlatelolco conditum fuit pro Indis Grammaticâ, Rhetoricâ, Logicâ, & Philosophiâ imbuendis, in quibus

AR  
bus strenuam multi operam collocarunt, decorique Patriæ fuerunt atque Nationi, prout opportunis in Bibliotheca nostra locis sit palam. Noster primas Magisterij partes ibidem tenens multos latinè docuit. Post ad Quauhuitlam non longè distitum à Mexico Oppidum in Ordinis Cænobio primus item Musicam Indis reddidit familiarem, cantorumque Choros instituit, non pœnitendis fructibus, ex inde ad nostra usque tempora promanantibus. Tandem ab animatum zelo egregijs comparatis meritis, atque cæteris conspicuus virtutibus diem clausit extremum in Conventu de Tulanzingo. Scripsit idioma Mexicano, politissimo quidem,

*Multos copiosaque eruditos Sermones.*

Præterea eadem donata lingua dedit

*Epistolas & Evangelia per annum in Ecclesia cantari solita:*

Quæ tamen usui esse jam nequeunt, proscriptis videlicet, justissimis de causis, Sacrorum Bibliorum translationibus ad linguas vulgares.

Meminerunt ejus egregiâ cum laude PP. Torquemada in Monarchia Indica tom. 3. lib. 19. cap. 33. pag. 386. tum etiam p. p. 113. 114. 442. Editionis Madritana 1723. Betancurtius in Menologio ad diem 20. Augusti pag. 91. Item ad ipsam diem Martyrologium Franciscanum, &

Gonzaga in Conventu de Tulanzingo, Wadingus & Bibliotheca Franciscana tom. 1. pag. 141. Item Dominicanus Fernandez in Historiâ Ecclesiasticâ nostri temporis lib. 1. cap. 17. pag. 67. Leon Pinelus in Epitome Bibliothecæ Occidentalis editionis novissime tom. 2. col. 720.

+ 434 D. ATHANASIUS REATON PASSAMONTE, cujus incertum nobis est natale solum, exploratumque Domicilium Mexicæ, Mathematicis disciplinis conspicuus, publici juris fecit hispano sermone

*Artem minorem Arithmetica & Methodum ordinandi castra, frequentioresque pro Regnis Hispanicis supputationes perbrevis & claro stylo, ut etiam citra Præceptoris vocem discipuli valeant.* Mexici, apud Viduam Bernardi Calderon 1649. in quarto.

In Præfatione ad Lectorem testatur, 21 retro annis Facultatem Mexici obtinuisse imprimendi librum alterum, cui titulum dederat,

*Calculator generalis.*

In quo Arithmeticæ & Geometriæ multa tradiderat, amissumque in Hispaniam edendum minoris impendij gratiâ, adversis oceani fluctibus, & alijs sinistris casibus præpeditum, nondum ad Americam nostram remicasse.

435 F. AUGUSTINUS DE AVILA, Natione Hispanus, in Constanis ortus, apud Valentinos